

# SPICILEGIUM HISTORICUM

## Congregationis SSmi Redemptoris

Annus IV

1956

Fasc. 2

---

IOSEPHUS LÖW

### ORDO SUMENDI HABITUM CSSR

*De fontibus.*

Inde a nonnullis annis necnon in paucis nostris provinciis desiderium palam factum est, ut prisci nostri et traditionales ritus habitum sumendi et religiosam professionem faciendi, diligenti atque sobriae revisioni subicerentur, eo vel magis, cum ipsa Sancta Sedes his ultimis annis non dubitaverit, sacros ritus et rubricarum instructum in examen revocare atque iustis postulatis vitae modernae et aequis cogitationibus aevi currentis aptare.

Labor non facilis omnigenisque obnoxius difficultatibus, nec tamen in infinitum procrastinandus.

Nostri certe non est, talem revisionem instituere; hoc tamen spectat historicum, investigare fontes et inquirere in originem, traditionem et evolutionem rituum et usuum nostrorum ad rem pertinentium, et sic viam sternere iis qui vocabuntur ut opportunam tandem peragant revisionem.

\* \* \*

Editio authentica, diceremus « typica » (1), cui inscribitur: *Ritus investiendi Candidatos et suscipiendi oblationem Novitiorum CSSR*, ita iubente

---

(1) Sancta Sedes, iam inde a temporibus S. Pii V, quando scilicet pro ritu romano novae editiones librorum liturgicorum, iuxta desiderium Concilii tridentini, edi coeptae sunt, easdem editiones peculiari cura est prosecuta eo proposito, ut textus et rubricarum integritati provideatur et sacri libri ab omni alterationis periculo e parte typographorum praeserventur. A temporibus Leonis PP. XIII usus invaluit editiones *ex officio* ab ipsa Sancta Sede curatas « typicas » esse declarare, id est, adeo formam et exemplar esse, ut nemini qui dictas editiones, debita cum permissione, reddere voluisset, ne per unguem quidem ab editione typica recedere liceat. Cfr H. ENGBERDING, *Liturgische Bücher* in *LThK* VI (1934) 617; G. Löw, *Libri liturgici*, III *Libri liturgici attuali della Chiesa Romana* in *Enc. Catt.* VII [1951] 1303-04.

Capitulo generali an. 1855 (2), a P.e Generali Mauron die 15 aug. 1856 publici iuris facta est.

In sequentibus editionibus, sive generalibus (3), sive singularum provinciarum (4), textus editionis an. 1856 ad amussim repetitur.

Hunc ergo textum pro studio nostro usurpantes, hac prima tractatione in ritum habitus sumendi immorabimur, et quidem in eiusdem ritus *fontes immediatos* investigantes quos reperiemur in sacra Scriptura vel Liturgia. Producemus igitur textum « authenticum » editionis an. 1856, sed maioris perspicuitatis causa singulas formulas, sive sint rubricae, sive preces, vel alia elementa, numeris currentibus crassioribus distinximus, ad quos continuo relegare iuvabit progrediente nostra tractatione.

Supra diximus, nos indicaturos esse « fontes immediatos » nostri Ordinis; his enim investigatis, directo intuitu conspicietur, quaenam elementa nobis propria sint, quaenam aliunde deprompta. Tunc etiam facilius erit, inquirere in compositionem totius Ordinis ad stabiliendum, quo ortum duxerit, unde dependerit, quae communia habuerit cum aliis Ordinibus eiusdem generis, quomodo vel cuius ope concreverit, et alia quaecumque ad eius historiam pertinentia; sed haec alterius tractationis erunt.

Ut demum deveniamus ad rationem nostrae editionis, sufficit dicere:

- 1° Totum Ordinem titulis divisimus, quos asterisco notavimus.
- 2° Singulis elementis (rubricae, orationes, « psalmi », aliaque) numeros currentes adiecimus.
- 3° Rubricas, quae propriae et ad hoc factae esse supponuntur, item partes, quae non habeant compares, per totam paginae extensionem disposuimus.
- 4° Ceteras partes cum locis respondentibus in duas columnas collocavimus, quarum sinistra textum Ordinis nostri, dextera textum cohaerentem continet.

Praemittimus conspectum generalem totius Ordinis et elementorum quibus componitur, una cum titulis numerisque nostris, de quibus diximus; hoc modo benevolus lector facilius viam inveniet per tantam partium varietatem.

(2) A Capitulo generali an. 1855, in sessione diei 10 iulii, Rectori Maiori commissum fuit, ut novum « Directorium novitiatum » redigi curaret. Vide [IOANNES SCHÖFL], *Brevis relatio actuum Capituli generalis CSSR primi Romae celebrati a 26 Apr. - 20 Iulii 1855*, pag. 252-253 (manuscriptum in AG) et AMBROSIUS ZOBEL, *Brevis Capituli anni 1855 Romae celebrati historica expositio*, pag. 730 (manuscriptum in AG).

Hoc directorium, inscriptum « Regula novitiorum » in lucem prodiit, ipso Superiore generali Mauron praeoquente, sub die 19 III 1856. Eiusdem « Regulae » necessarium complementum est Ordo sumendi habitum et professionem faciendi, de quo agimus.

(3) Editio generalis pro tota Congregatione, seu primae editionis an. 1856 repetitio, una tantum facta est an. 1910, iubente tunc Rectore Maiore R.mo P.e Murray, cuius infra exscribimus praefationem.

(4) Singularum provinciarum editiones particulares non esse recensendas putamus, cum saepius ope tantum manuscripti vel machinae destinatae ad multiplicationem mechanicam confectae sint, et ad usum tantum domorum novitiatum, ita ut vix omnes illae « editiones » nobis innotescere possint. Earum proprietas in hoc maxime consistit, ut versionem in linguam vernaculam saepius adhibeant.

## I BENEDICTIONES PRAEVIAE:

- (1) Rubrica.
- (2) *Crucifixorum*: Versus-Oratio: Omnipotens sempiternus Deus, has, quaesumus, imagines in memoriam Unigeniti Filii tui.
- (3) *Rosarium*: Versus-Oratio: Omnipotens et misericors Deus, qui propter eximiam caritatem.
- (4) *Vestium*: Versus-Oratio: Domine Jesu Christe, qui existens in forma Dei.
- (5) *Cingulorum*: Versus-Oratio: Deus, qui ut servum absolveres, Filium ligari voluisti.

## II PRAEPARATIO AD VESTITIONEM:

- (6) VENI, SANCTE SPIRITUS. - Deus qui corda fidelium.
- (7) Versus.
- (8) « Psalmus I »: In exitu Israel.
- (9) « Psalmus II »: Vox dilecti mei pulsantis.
- (10) « Psalmus III »: Quae est ista, quae ascendit.
- (11) *Orationes*: Dirigat corda nostra, quae., Domine, tuae miserationis operatio (1).
- (12) Excita, quae., Domine, tuorum fidelium voluntates (2).
- (13) Deus, qui diligentibus te (3).
- (14) *Sermo*.
- (15) *Petitio*: Candidatus: Divinae gratiae luminibus illustratus.
- (16) *Acceptatio*: Cum itaque amore Jesu Christi.
- (17) VENI, CREATOR SPIRITUS. - Prostratio. - Mentis nostras.
- (18) *Dialogus*: Cum ergo, filii mei, adsit tempus. - Accedentes autem.

## III VESTITIO:

- (19) *Depositio vestium saecularium*: Exuat te Dominus.
- (20) *Vestitio talaris*: Indue, fili, Dominum Jesum Christum.
- (21) « Psalmus IV »: Induit me Dominus vestimento salutis.
- (22) Oratio: Maiestatem tuam, Domine Jesu, suppliciter exoramus.
- (23) *Cingulum*: Praecingat te.
- (24) « Psalmus V »: Et erunt sicut angeli Dei.
- (25) Oratio: Domine Jesu Christe, qui beato Petro apostolo tuo.
- (26) *Crucifixus*: Accipe, fili, imaginem Crucifixi. - Moriar, Domine.
- (27) « Psalmus VI »: Inveni, quem diligit anima mea.
- (28) Oratio: Deus, qui mira Crucis mysteria.
- (29) *Rosarium*: Accipe, fili, Rosarium.
- (30) « Psalmus VIII »: Introduxit me rex.
- (33) Oratio: Domine, Deus noster, qui eos te dignos esse decrevistis.

## IV CONCLUSIO:

- (34) *Osculum pedis et amplexus fraternitatis*: « Psalmus IX »: Ecce quam bonum.
- (35) Versus.
- (36) *Orationes*: Deus, qui diligentibus te facis cuncta prodesse (1).
- (37) Defende, quaesumus, Domine, beata Maria semper Virgine intercedente (2).
- (38) Protege, Domine, populum tuum (3).
- (39) Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi (4).
- (40) Deus, qui miro ordine angelorum (5).

- (41) *Precatio ad B.M.V.*: Ecce me prostratum ad pedes tuos.
- (42) TE DEUM LAUDAMUS.
- (43) *Orationes*: Deus, cuius misericordiae non est numerus (1).
- (44) *Odorem, Domine, sacrificii huius* (2).
- (45) Deus, qui neminem in te sperantem (3).
- (46) *Agimus tibi gratias*.
- (47) *Salve Regina*. - Defende quaesumus.
- (48) Deus, qui per beatum Alfonso.
- (49) Rubrica.

## NOTA BIBLIOGRAPHICA

RITUALE ROMANUM. - Allegatur editio vaticana « prima post typicam », an. 1954 vulgata.

MISSALE ROMANUM. - Pro orationibus e Missali romano desumptis relegamus semper ad magnum opus P. BRUYLANTS, *Les Oraisons du Missel Romain. Texte et Histoire. I Tabulae synopticae fontium Missalis Romani. Indices. II Orationum textus et usus juxta fontes*. Louvain 1952 (sub simplici voce: BRUYLANTS).

RITUALE ROMANO-SERAPHICUM ORDINIS FRATRUM MINORUM<sup>3</sup>, Roma 1955, 271-282. Tit. V *Ritus peculiare Ordinis, Cap. III Ritus vestitionis in 1° Ordine*.

||1|| RITUS | INVESTIENDI CANDIDATOS | ET SUSCI-  
PIENDI OBLATIONEM | NOVITIORUM CONGREGATIO-  
NIS | SS. REDEMPTORIS.

[*Insigne CSSR*]

ROMAE, | typis S. Congr. de Propaganda Fide. | MDCCCLVI.

||3|| J.M.J.A.

PLURIMUM REVERENDIS PATRIBUS ET IN CHRISTO  
DILECTISSIMIS FRATRIBUS,  
PROVINCiarUM CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS  
SUPERIORIBUS, SALUTEM IN DOMINO.

In supplementum Regulae et Manualis Novitiorum nostrae Congregationis, hisce vobis tradimus Ritus Vestitionis et Oblationis revisos noviterque redactos, mandantes, ad uniformitatem perfectam in omnibus nostris Provinciis stabiliendam, ut, ad hanc formam, omnes Vestitiones et Oblationes instituantur; nihilominus autem ea, quae in cujusvis Provinciae vernacula dici solent, in posterum quoque, versione fideli adhibita, in vernacula recitari possint, imo, in quantum de suscipiendis Fratribus servientibus agitur, recitari debeant.

Datum Romae, in Domo nostra ad SS. Redemptorem et in honorem S. Alphonsi, die 15 Augusti 1856, Festo Assumptionis B. M. V.

NICOLAUS MAURON, C. SS. Red.  
Superior Generalis et Rector Major.

[*Praefatio editionis an. 1910*]

J.M.J.A.

PLUR. REV. PROVINCiarUM SUPERIORIBUS  
CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS  
SALUTEM IN DOMINO.

Quum editus anno 1856 libellus de *Ritu investiendi Candidatos et suscipiendi oblationem Novitiorum Congregationis SS. Re-*

*demptoris* jamdiu raresceret et nonnullis in Provinciis omnino desideraretur, eundem typis iterum edendum curavimus, dempta dumtaxat Appendice de modo cantandi hymnos et psalmos.

Volumus igitur ut, sicut hactenus factum est, Vestitiones nostrae et Professiones ad hanc formam instituantur.

Quae autem hucusque propria cujusque Provinciae lingua recitata fuerunt, recitari porro poterunt, fideliter ex latino conversa; quin etiam, si agitur de suscipiendis Fratribus laicis, lingua vernacula recitari debebunt.

Datum Romae, die 27 Martii a. 1910, festo Paschatis.

PATRITIUS MURRAY, C. SS. Red.

*Sup. Gen. et Rect. Maj.*

||5|| RITUS INVESTIENDI CANDIDATOS ET SUSCIPIEN-  
DI | OBLATIONEM NOVITIORUM | CONGREGATIONIS |  
SS. REDEMPTORIS.

I.

RITUS INVESTIENDI

CANDIDATOS CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS.

*Rubrica \**

1 Antequam Communitas in Ecclesiam vel in Sacellum Novitiatus convocatur, P. Socius cotta et stola indutus, ibidem benedictionibus infra notatis benedicet crucifixos, rosaria, vestes talaris et cingula posita in mensula, a laeva Altaris majoris. — In ipsa functione idem P. Socius, stola deposita, munus Ceremoniarum exercebit, ad cornu Epistolae se tenebit, et curam habebit, ut omnia rite et decenter fiant. Si P. Socius non adest, alius Pater eodem modo Superiori ceremoniam peragenti assistet.

\* Tituli, asterisco signati, a nobis introducti sunt.

## I. BENEDICTIONES PRAEVIÆ \*

Nn. 2-5

2 *Benedictio Crucifixorum.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, has, quaesumus, imagines\* in memoriam Unigeniti Filii Tui, Domini Nostri Jesu Christi adoptatas, benedicere et sanctificare digneris, et praesta, ut hi famuli Tui jugiter coram ipsis Unigenitum Filium Tuum suppliciter colere studentes, Illius meritis, et obtentu a Te gratiam in praesenti et aeternam gloriam obtineant in futuro. Per eundem Christum Dominum Nostrum.

℞. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

2 RITUALE ROMANUM. Tit. IX, Cap. IX, N. 15. *Solemnis benedictio imaginis Iesu Christi Domini nostri, vel B. Mariae Virginis, vel alius Sancti.*

Adjutorium... Dominus vobiscum...

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines (*sive effigies*) sculpi, aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriae oculis meditemur: hanc, quaesumus, imaginem (*seu sculpturam*) in honorem et memoriam unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi (*vel beatissimae Virginis Mariae, Matris Domini nostri Iesu Christi, vel beati N. Apostoli tui, vel Martyris, vel Pontificis, vel Confessoris, vel beatæ N. Virginis, vel Martyris*) adaptatam benedicere et sanctificare digneris: et praesta; ut quicumque coram illa unigenitum Filium tuum (*vel beatissimam Virginem, vel gloriosum Apostolum, vel Martyrem, vel Pontificem, vel Confessorem, vel gloriosam Virginem, vel Martyrem*) suppliciter colere et honorare studuerit, illius meritis et obtentu a te gratiam in praesenti, et aeternam gloriam obtineat in futurum. Per (*eundem*) Christum Dominum nostrum. Amen.

\* Si unus tantum est investiendus, quae sunt in plurali, in singulari ponantur.

3 *Benedictio Rosariorum.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus Deus, qui propter eximiam charitatem Tuam, qua dilexisti nos, Filium Tuum Unigenitum Dominum Nostrum Jesum Christum de caelis in terram descendere et de beatae Mariae Virginis utero sacratissimo, Angelo nuntiante, carnem suscipere, crucem ac mortem subire, et tertia die gloriose resurgere a mortuis voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli: obsecramus immensam clementiam Tuam, ut haec signa rosarii in honorem et laudem ejusdem Genitricis Filii Tui, ab Ecclesia Tua fideliter dicata, benedicis et sanctificas, eisque tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicumque horum quodlibet secum portaverit, et in eis ad Te divina contemplando my-

3 RITUALE ROMANUM. Tit. IX, Cap. XI, NN. 9, 34, 35, 39, 40. Agitur de oratione ad benedicendas « coronas », variis Ordinibus proprias. Haec oratio exemplum est magnificum aptationis unius eiusdemque formulae fundamentalis ad varias exprimendas proprietates. Propterea placuit nobis eam transcribere cum omnibus variationibus, praemittentes singulas appropriationes, una cum numeris Ritualis: 9 Benedictio coronae VII dolorum B.M.V. propria Ordinis Servorum B.M.V.; 34 Bened. coronarum pretiosissimi Sanguinis propria Congregationis Missionariorum pr. Sang.; 35 Bened. coronarum sacratissimi Rosarii B.M.V. propria Ordinis Praedicatorum; 39 Bened. coron. S. Birgittae propria Ordinis Ss.mi Salvatoris; 40 Bened. coron. S. Ioseph propria Ordinis Carmelitarum.

Omnipotens et misericors Deus, qui propter nimiam [eximiam 9, 34, 35] charitatem, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum Iesum Christum, pro redemptione nostra, de caelis in [ad 9] terram descendere [et de beatissimae Virginis Mariae Dominae nostrae (M.D.n.om 39; D.n. om 40) utero sacratissimo (om 40), Angelo nuntiante 34, 35, 39, 40], carnem suscipere [et crucis tormentum subire 9; crucemque ac mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere 35] voluisti, [ut nos eriperes de potestate diaboli 34, 35, 39; ut nos de potestate ini-



steria devote oraverit, salubri ac perseveranti devotione abundet, ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc saeculo liberetur, ac in exitu suo ||7|| ab ipsa beatissima Maria Virgine Dei Genitrice Tibi plenus operibus bonis praesentari mereatur. Per eundem Christum Dominum Nostrum.

R̄. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

*mici eriperes 40]* obsecramus immensam [om 40] clementiam tuam, ut [*hanc coronam in memoriam septem dolorum Genetricis Filii tui 9; has coronas in honorem et laudem pretiosi Sanguinis eiusdem Filii tui 34; haec signa Rosarii, in honorem et laudem eiusdem Genetricis Filii tui 35; has coronas in honorem et laudem Genetricis Filii tui 39; hanc coronam in honorem et laudem eiusdem Genetricis Filii tui, ac per dilecti eius Sponsi Ioseph, confectam et dicatam 40]*, ab Ecclesia tua fidei dicatam [*dicatas 34, 39; dicata 35]* benedicas et sanctifices, et ei [*eisque 34, 35, 39; eique 40]* tantam Spiritus Sancti virtutem infundas, ut quicumque [*eam recitaverit ac secum portaverunt atque in domo sua reverenter tenuerit 9; harum quamlibet secum portaverit, aut in domo sua reverenter tenuerit 34; horum quodlibet secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit; et in eis ad te, secundum huius sanctae Societatis instituta, divina contemplando mysteria, devote oraverit, salubri et perseveranti devotione abundet, sitque concors et particeps omnium gratiarum, privilegiorum et indulgentiarum, quae eidem Societati per sanctam Sedem Apostolicam concessae fuerunt 35; eas portaverit, vel recitaverit, aut domi reverenter tenuerit 39; hanc secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit 40]*, ab omni hoste visibili et invisibili, semper et ubique, in hoc saeculo liberetur [*ab hoste et ad-*

*versitate semper et ubique liberetur 39], et in exitu suo [a beatissima Virgine Maria tibi, bonis operibus coronatus 9; ab ipsa beatissima Virgine Maria, Dei Genetrice, tibi plenus bonis operibus 35; a beatissimis illis Sponsis, plenus bonis operibus, tibi 40; et in exitu mortis suae a beatissima Virgine, tibi plenus meritis 39] praesentari mereatur [et post exitum suum, meritis ipsius pretiosissimi Sanguinis, ad aeternam beatitudinem feliciter perveniat 34]. Per eundem [Christum Dominum nostrum 9, 34; in unitate eiusdem Spiritus Sancti 35; Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit... in unitate eiusdem Spiritus S. 39, 40]. Amen.*

#### 4 *Benedictio Vestium.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

#### OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui existens in forma Dei, formam servi accipere, in similitudinem hominum fieri et habitu inveniri ut homo, pro nostra salute, dignatus es: Te supplices oramus, ut istas nostrae Congregationis vestes benedicere digneris, ut hi famuli Tui fratres nostri, ipsas induentes, Te, per imitationem, induant celeberrimam

4 RITUALE ROMANUM. Tit. IX, Cap. IX, N. 3. *Benedictio habitus clericalis.*

Oremus. Domine Iesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuae largitatis abundantiam: ut hoc genus vestimenti, quod sancti patres ad innocentiae vel humilitatis indicium, deponentes ignominiam saecularis habitus, ferre sanxerunt, tu ita benedicere digneris, ut hi famuli tui, qui hoc induti fuerint vestimento, te quoque induere mereantur, et inter reliquos homines conversatione sancta tibi agnoscantur esse dicati: *Qui vivis.*

mum omnis perfectionis exemplum. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R̄. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

5 *Benedictio Cingulorum.*

Ÿ. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R̄. Qui fecit coelum et terram.

Ÿ. Dominus vobiscum.

R̄. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui ut servum absolveres, Filium ligari voluisti, benedic cingula ista, ut famuli Tui fratres nostri, qui iis cingentur, vinculorum ejusdem Filii Tui Domini Nostri ||8|| Jesu Christi memores existant, ut in via, quam ingrediuntur, salubriter perseverent, et Tuis cum affectu semper obsequiis se alligatos esse cognoscant. Per eundem Christum Dominum Nostrum.

R̄. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

5 RITUALE ROMANUM. Tit. IX, Cap. VIII, N. 15. *Benedictio Cinguli in honorem Domini nostri Iesu Christi.*

Oremus. Deus, qui, ut servum redimeres, Filium tuum per manus impiorum ligari voluisti: benedic, quaesumus, cingulum istud; et praesta, ut famulus tuus, qui (famula tua, quae) eo veluti sui corporis poenitentiali ligamine cingetur, vinculorum ejusdem Domini nostri Iesu Christi perpetuus existat amator (perpetua existat amatrix), tuisque semper obsequiis se alligatum (alligatam) esse cognoscat. Per eundem Dominum... Amen.

Cfr etiam RITUALE ROMANO - SERAPHICUM. *Super Cingulum.*

Oremus: Deus, qui ut servum redimeres, Filium tuum per manus impiorum ligari voluisti; benedic, quaesumus, cingulum istud, et praesta: ut famulus tuus, qui eo velut ligamine poenitentiali sui corporis cingetur, vinculorum ejusdem Domini nostri Iesu Christi perpetuo memor existat: et in Ordine, quem assumit, perreniter perseveret, tuisque cum effectu semper obsequiis se alligatum esse cognoscat. Per eundem Christum D. n. Amen.

## II. PRAEPARATIO AD VESTITIONEM \*

Nn. 6-10

*Rubrica et Sancti Spiritus invocatio  
Initium actus communitatis \**

**6** Communitate congregata, Candidati coram Altari in plano, ceteri ad ejus partes laterales vel in scamnis genuflectunt, et Superior ad quem receptio Candidati spectat, cotta et stola indutus, in infimo gradu Altaris genuflectens, incipit :

**6<sup>a</sup>** Veni, Sancte Spiritus, reple Tuorum corda fidelium, et Tui amoris in eis ignem accende.

**6<sup>b</sup>** *Ps.* Emitte Spiritum Tuum et creabuntur.

*R.* Et renovabis faciem terrae.

**6<sup>c</sup>** OREMUS.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Chr. Dom. N.

*R.* Amen.

**6<sup>a</sup>** MISSALE ROMANUM. Dominica Pentecostes, Feria II, III, V; Fer. IV (post lect. 2); Fer. VI (post lect. 1); Sabbato (post lect. 4); Missa votiva de Spiritu Sancto, *Versiculus* (Alleluia).

Veni, Sancte Spiritus etc.

**6<sup>b</sup>** PSALMUS 103, 30. = MISSALE ROMANUM. Dominica Pentecostes, Feria V. Missa votiva de Spiritu Sancto, *Versiculus* (Alleluia).

Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.

**6<sup>c</sup>** MISSALE ROMANUM. Dominica Pentecostes, Fer. V et Missa votiva de Spir. S., *Oratio*.

Cfr BRUYLANTS II N. 349.

Deus, qui (hodierna die) corda fidelium.

*Rubrica et Versiculi ad aperiendam psalmodiam \**

**7** Deinde omnes surgunt, exceptis Postulantibus, et alternatim ad modum Chori cantantur psalmi sequentes, ita ut illa pars, quae est ad cornu Evangelii, semper primam stropham incipiat.

7<sup>a</sup> Superior: V̄. Deus in adiutorium meum intende.

Omnes: R̄. Domine ad adiuvandum me festina.

Omnes: V̄. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

Omnes: R̄. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Omnes: R̄. Alleluja. - *Vel* - Laus Tibi Domine, Rex aeternae gloriae.

7<sup>a</sup> PSALMUS 69, 2. Deus, in adiutorium meum intende, Domine, ad adiuvandum me festina (*vel, iuxta novam psalmorum versionem « pianam »*: Placeat tibi, Deus, ut eripias me; Domine, ad adiuvandum me festina).

Versus psalmi, una cum doxologia minore « Gloria Patri, » et « Alleluia » (seu « Laus tibi, Domine ») ab antiquo usu venit pro aperitione horarum canonicarum.

*Psalmodia \**

Nn. 8-10

||9|| 8 Psalmus I.

1. In exitu Israel de Aegypto \* domus Jacob de populo barbaro.

2. Facta est Judaea sanctificatio ejus \* Israel potestas ejus.

3. Introduces eos, et plantabis in monte haereditatis Tuae \* firmissimo tabernaculo Tuo, quod operatus es, Domine.

4. Educam eos de afflictione Aegypti \* et introducam in terram fluentem lacte et melle.

Gloria Patri etc.

9 Psalmus II.

1. Vox Dilecti mei pulsantis \* egredere et abi post vestigia gregum.

8 Psalmus I

1. PSALMUS 113, 1. *In exitu Israel de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro.*

2. PSALMUS 113, 2. *facta est Iudaea sanctificatio eius, Israel potestas eius.*

3. EXODUS 15, 17. *Introduces eos, et plantabis in monte hereditatis tuae, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine: Sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuae (= Canticum Moysis).*

4. EXODUS 3, 17. *et dixi ut educam vos de afflictione Aegypti in terra Chananei et Hethaei et Amorrhaei et Pherezaei et Hevaei et Iebusaei, ad terram fluentem lacte et melle.*

9 Psalmus II

1<sup>a</sup>. CANT. CANT. 5, 2. *Ego dormio, et cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea,*

2. En Dilectus meus loquitur mihi: \* surge, propera, amica mea; et veni.

3. Surgam et quaeram \* quem diligit anima mea.

4. Veniat Dilectus meus in hortum suum \* fasciculus myrrhae Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

5. Veni, Dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis; \* jam enim hyems transiit, imber abiit et recessit.

Gloria Patri etc.

### 10 Psalmus III.

1. Quae est ista, quae ascendit de deserto \* deliciis affluens, innixa super Dilectum suum.

2. Fortis ut mors dilectio; \* lampades ejus lampades ignis atque flammaram.

columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et ciccini mei guttis noctium.

1<sup>b</sup>. CANT. CANT. 1, 7. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, *egredere et abi post vestigia gregum* et pasce haedos tuos iuxta tabernacula pastorum.

2. CANT. CANT. 2, 10. *En, dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni, iam enim etc.* = 5<sup>b</sup>.

3. CANT. CANT. 3, 2. *Surgam et circuibo civitatem per vicos et plateas, quaeram quem diligit anima mea: quaesivi illum et non inveni.*

4<sup>a</sup>. CANT. CANT. 5, 1. *Veniat dilectus meus in hortum suum et comedat fructum pomorum suorum.*

4<sup>b</sup>. CANT. CANT. 7, 12. *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

5<sup>a</sup>. CANT. CANT. 7, 11. *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.*

5<sup>b</sup>. CANT. CANT. 2, 11. *iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.*

### 10 Psalmus III

1. CANT. CANT. 8, 5. *Quae est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata genetrix tua.*

2. CANT. CANT. 8, 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super bra-*

3. Propter hoc ecce ego lactabo eam \* et ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus.

4. Sedebit solitarius et tacebit, \* quia levavit super se.  
Gloria Patri etc.

chium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum.

3. OSEE 2, 14. Propter hoc ecce ego lactabo eam et educam eam in solitudinem et loquar ad cor eius, 15 et dabo ei vinitores eius ex eodem loco et vallem Achor ad aperiendam spem.

4. LAMENT. IEREM. (THERNI) 3, 28. Iod : Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se.

*Orationes \**

Nn. 11-13

||IO|| OREMUS.

**11** Dirigat corda nostra, quaesumus Domine, Tuae miseracionis operatio, quia Tibi sine Te placere non possumus.

**12** Excita, quaesumus Domine, Tuorum fidelium voluntates, ut divini operis fructum propensius exsequentes, pietatis Tuae remedia majora percipiant.

**13** Deus, qui diligentibus Te bona invisibilia praeparasti, infunde cordibus nostris Tui amoris affectum, ut Te in omnibus et super omnia diligentes, promissiones Tuas, quae omne desiderium superant, consequamur. Per Christum Dominum Nostrum.

Rz. Amen.

**11** MISSALE ROMANUM. Dominica 18 post Pentecosten. *Oratio.*

Cfr BRUYLANTS II N. 470.

**12** MISSALE ROMANUM. Dominica 24 (ultima) post Pentecosten, *Oratio.*

Cfr BRUYLANTS II N. 548.

**13** MISSALE ROMANUM. Dominica 5 post Pentecosten, *Oratio.*

Cfr BRUYLANTS II N. 323.

*Rubrica et oratio («sermo») superioris \**

**14** Post haec, exceptis Postulantibus, omnes considunt, et Superior ad cornu Evangelii sedens, capite cooperto, brevem *orationem* habet de beneficio vocationis, de gratiis Deo pro hoc beneficio reddendis et de nova vita a Postulantibus instituenda.

*Rubrica et interrogatio superioris \**

**15** Qua finita Communitas surgit, et Superior sedens et cooperto capite ad Postulantes ad gradus Altaris genuflexos, dicit:  
Charissimi Fratres, quid petitis? \*

*Petitio candidati et responsio superioris \**

**16** Candidatus, nomine ceterorum.

Divinae gratiae luminibus illustratus, omnia, quae mundus magni facit, et quibus gloriatur, vana nihilque nisi vanitatem esse, cognitum atque perspectum habeo. Adjecit mihi eadem infinita Dei Misericordia animum, firmumque mihi inspiravit propositum, renuntiandi omnibus, quae hujus mundi sunt, ut majori libertate amabilissimo meo Redemptori serviam, ardentius Ipsum diligam et perfectiori, quo fieri potest modo, sanctissimam vitam Suam imitari studeam. Unde intima mihi venit persuasio, me divinitus vocari ad consumendos omnes, qui supersunt, ||II|| vitae meae dies in hac venerabili Congregatione SS. Redemptoris, ut, divinae voluntati prompte et fideliter obtemperans, animae meae salutem velut in securitatis portu constituam. Humillime itaque et instantissime Paternitatem Tuam oro atque obsecro, ut me, licet tanta gratia nullatenus dignum, ob amorem Jesu Christi Salvatoris mei, ut omnium fratrum minimum et indignissimum suscipere dignetur in hanc Congregationem, in qua, divina gratia adjuvante, me ad finem usque perseveraturum esse spero.

Superior.

Cum itaque amore Jesu Christi in hanc Congregationem nostram suscipi desideretis, et totos vos Deo dicare decreveritis, Ego,\* facultate mihi delegata a Plurimum Reverendo Patre Provinciali, vos suscipio ut Novitios induendos habitu nostrae Con-

\* Si unus tantum Candidatus est investiendus, Superior dicit: *Charissime, Frater, quid petitis?* — Responsum autem, etiamsi plures sint, ab uno, nomine ceterorum, dicitur.

\* Si ipse P. Provincialis functionem sibi reservaverit, dicit: *Ego, facultate a Constitutionibus mihi concessa* etc.



gregationis, in qua, ut spero, fideliter perseverabitis ad vota vestra tempore suo emittenda.

*Rubrica, sollemnis Sancti Spiritus invocatio, et candidatorum in terram prostratio* \*.

17 Deinde Candidati se prosternunt, facie ad terram conversa, et sic prostrati manent; Superior flexis genibus intonat Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, quem Communitas prosequitur, ad modum Chori, illa parte, quae est ad cornu Evangelii, incipienti.

17<sup>a</sup> Hymnus.

Veni, Creator Spiritus,  
Mentes Tuorum visita;  
Imple superna gratia  
Quae Tu creasti pectora.  
Qui diceris Paraclitus,  
Altissimi donum Dei;  
Fons vivus, ignis, charitas,  
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,  
Digitus paternae dexteræ; ||12||  
Tu rite promissum Patris,  
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,  
Infunde amorem cordibus;  
Infirma nostri corporis,  
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,  
Pacemque dones protinus;  
Ductore sic Te praeviso,  
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus, da, Patrem,  
Noscamus atque Filium;  
Teque utriusque Spiritum,  
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria \*,  
Ejusque soli Filio;  
Cum Spiritu Paraclito  
Nunc et per omne saeculum.  
Amen.

17<sup>a</sup> BREVIARIUM ROMANUM. Dominica Pentecostes (et per octavam), *Hymnus ad Vesperas et ad Tertiam*.

Cfr A. MIRRA, *Gl' inni del Breviario Romano*, Napoli, D' Auria, 1947, 128-130; S. MATTEI in *Enciclopedia Cattolica* XII [1954] 1230.

\* Haec ultima stropha non variatur nisi tempore paschali.

**17<sup>b</sup>** V. Emitte Spiritum Tuum et creabuntur.

R̄. Et renovabis faciem terrae.

**17<sup>c</sup>** OREMUS.

Mentes nostras, quaesumus Domine, Paraclitus, qui a Te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut Tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum.

R̄. Amen.

*Rubrica et dialogus inter superiorem et candidatos, qui mutationem habitus praecedit\*.*

**18** Qua oratione finita, Candidati prostrati surgunt, genuflectunt, et Superior, denuo considens, et, capite cooperto, ad ipsos conversus, dicit :

**18<sup>a</sup>** Cum ergo, Filii mei, adsit tempus, quo habitu nostrae Congregationis induendi estis, denuo a vobis quaero, num firmiter decreveritis et vobis proposueritis totos vos ||13|| atque sincero corde Deo donare, sanctissimamque Jesu Christi vitam pro viribus imitari?

Candidatus, nomine ceterorum, si plures sunt.

Utique, Pater.

Superior.

**18<sup>b</sup>** Accedentes autem, Filii mei, ad servitutum Dei, praeparate animas vestras ad tentationem.

Candidatus.

**18<sup>c</sup>** Omnia possum in eo qui me confortat.

**17<sup>b</sup>** Cfr supra 6<sup>b</sup>.

**17<sup>c</sup>** MISSALE ROMANUM. Feria IV Quattuor Temporum Pentecostes, *Oratio* I.

Cfr BRUYLANTS II N. 679.

**18<sup>b</sup>** ECCLESIASTICUS 2, 1. Fili, accedens ad servitutum Dei, sta in iustitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem.

**18<sup>c</sup>** AD PHILIPPENSES 4, 13-12 Scio et humiliari, scio et abundare : (ubique et in omnibus institutus sum) et satiari, et esurire et abundare, et penu-

riam pati: 13 *omnia possum in eo, qui me confortat.*

Superior surgit et dicit:

**18<sup>d</sup>** Dominus vos benedicat semper et custodiat in vitam aeternam. Amen.

**18<sup>d</sup>** PSALMUS 66, 7-8. 7b *Benedicat nos Deus Deus noster, 8 Benedicat nos Deus; et metuant eum omnes fines terrae.*

BREVIARUM ROMANUM. Ordinarium. *Ad Primam*, benedictio: *Dominus nos benedicat et ab omni malo defendat, et ad vitam perducatur aeternam. Et fidelium animae etc.*

IOANNES 12, 25. Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, *in vitam aeternam custodit eam.*

RITUALE ROMANUM. Tit. V, Cap. II *Ordo administrandi sacram Communionem: Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.*

### III. MUTATIO HABITUS, SEU ACTUS VESTITIONIS\*

Nn. 19-33

#### *Depositio vestium saecularium\**

N. 19

**19** Hic Communitas surgit, et Superior, a Patre assistente adjutus, Candidatos stantes exuit veste saeculari, ad singulos dicens:\*

**19<sup>a</sup>** Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus ejus, et induat te novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Pater assistens solus: R. Amen.

**19<sup>a</sup>** AD COLOSSENSES 3, 9-10. 9 *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, 10 et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum.*

**19<sup>a</sup>** et **20<sup>a</sup>** AD EPHESIOS 4, 24. 23 *Renovamini autem spiritu mentis vestrae, 24 et induite no-*

\* Si Candidatus jam Clericus est, omittuntur verba: *Exuat te etc.* et dicitur tantum: *Indue Fili etc.*

vum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.

PONTIFICALE ROMANUM. De clerico faciendo, *Ad super pelliceam*: Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate veritatis.

*Vestitio habitus Congregationis SS. Redemptoris \**

Nq. 20-22

**20** Deinde statim quilibet Candidatus induitur veste Congregationis, Superiore dicente :

**20<sup>a</sup>** Indue, Fili, Dominum Jesum Christum, semper mortificationem ejus in corpore tuo circumferens.

Pater assistens solus :

Ry. Amen.

**20<sup>a</sup>** II AD CORINTHIOS 4, 10. 8 In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur : 9 persecutionem patimur, sed non derelinquimur : deicimur, sed non perimus : 10 semper *mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes*, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.

**21** Finita omnium investitione, Superior intonat sequentem Psalmum, a Communitate ad modum Chori prosequendum.

**21<sup>a</sup>** Psalmus IV.

I. Induit me Dominus vestimento salutis \* et indumento laetitiae circumdedit me.

**21<sup>a</sup>** Psalmus IV

I. ISAIAS 61, 10. Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, quia *induit me vestimentis salutis et indumento iustitiae circumdedit* me quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis.

PONTIFICALE ROMANUM. De ordinatione subdiaconi, *In vestitione tunicae*: Tunica iucunditatis et *indumento laetitiae* induat te Dominus. In nomine Patris etc.

PONTIFICALE ROMANUM. De ordinatione diaconi, *In vestitione dalmaticae*: Induat te Dominus *indumento salutis* et *vestimento laetitiae*, et dalmatica iustitiae circumdet te semper. In nomine Domini.

2. Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsi ||14|| propter amorem Domini mei Jesu Christi \* quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.

Gloria Patri etc.

## 22 OREMUS.

Majestatem Tuam, Domine Jesu, suppliciter exoramus, ut hos famulos Tuos, quibus de Tua gratia sperantibus, nostrae Congregationis vestem imposuimus, digneris inter discipulos Tuos suscipere, virtute ex alto induere, justitiae lorica munire et salutis protegere vestimento, ut, intercedente beata semper Virgine et immaculata Tua Genitrice Maria, sub humilitatis veste Tibi perseveranter deservientes ad stolam immortalitatis et gloriae mereantur pervenire. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R̄. Amen.

2. BREVIARIUM ROMANUM. Commune non Virginum, *Responsorium VIII*: Regnum mundi etc.

## 22 RITUALE ROMANO-SERAPHICUM.

Oremus: Maiestatem tuam, Domine, suppliciter exoramus, ut famulos tuos, quibus de tua gratia praesumentes, nostrae Religionis habitum imposuimus: digneris inter discipulos tuos virtute ex alto induere, iustitiae lorica munire, et salutis protegere vestimento, ut intercedente beato Patre nostro Francisco Confessore tuo, sub humilitatis veste tibi perseveranter deservientes, ad stolam immortalitatis et gloriae pervenire mereantur. Per Chr. Dom. n. Amen.

*Ad Cingulum \**

Nn. 23-25

**23** Deinde Superior cuilibet Candidato cingulum imponit, dicens :

**23<sup>a</sup>** Praecingat te Dominus cingulo fidei et puritatis. Per Christum Dominum nostrum.

Pater assistens solus : *Ry.* Amen.

**23<sup>a</sup>** MISSALE ROMANUM. Orationes, cum sacerdos induitur sacerdotalibus paramentis, *Ad cingulum, dum se cingit* : Praecinge me, Domine, *cingulo puritatis*, et exstingue in lumbis meis humorem libidinis; ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.

Cfr ISAIAS II, 5. Et erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius.

Cfr LUCAS 12, 35. Sint lumbi vestri praecincti et lucernae in manibus vestris.

**24** Psalmus V.

1. Et erunt sicut Angeli Dei;  
\* hi enim sequuntur agnum, quocumque ierit.

2. Dilectus meus mihi et ego  
Illi \* qui pascitur inter lilia.  
Gloria Patri etc.

**24** Psalmus V

1. MATTH. 22, 30. In resurrectione enim neque nubent neque nubentur, sed *erunt sicut angeli Dei* in caelo.

1<sup>a</sup>. APOC. 14, 4. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt : *hi sequuntur Agnum quocumque ierit.*

2. CANT. CANT. 2, 16. *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, 17* donec adspiret dies, et inclinentur umbrae.

**25** OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui beato Petro Apostolo Tuo significans, qua morte clarificaturus esset Deum, praedixisti, per

**25** Fontem huius orationis non invenimus.

alium in senectute sua ipsum esse cingendum, hos famulos Tuos fratres nostros, Tua quaesumus charitate praecinge, cor eorum regulari alliga disciplina, ut Tua eis opitulante gratia, soluti et liberati a mundo, Tuo ||15|| vincti amore, in observantia Instituti, quod assumunt, usque ad obitum jugiter perseverent. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R̄. Amen.

*Ad imaginem Crucifixi \**

Nn. 26-28

**26** Dein Superior cuilibet Candidato genuflectenti imaginem Crucifixi porrigit, dicens :

**26<sup>a</sup>** Accipe, Fili, imaginem Crucifixi, Magistri et Redemptoris tui, qui passus est pro te, et tradidit Semetipsum pro te. Pone Illum ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.

Pater assistens solus : R̄. Amen.

**26<sup>a</sup>** CANT. CANT. 8, 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio.*

Novitius amplectens crucem, dicit :

**26<sup>b</sup>** Moriar, Domine, amore amoris Tui, qui amore amoris mei dignatus es mori.

**26<sup>b</sup>** *Opuscula Sancti Patris Francisci Assisiensis<sup>3</sup>. Ad Claras Aquas (Quaracchi) 1949 = Bibliotheca Franciscana Ascetica Medii Aevi I. Textus 125; notitiae criticae 200-201.*

ORATIO « *Absorbeat* ».

Absorbeat quaeso, Domine, mentem meam ab omnibus, quae sub caelo sunt, ignita et melli-

**27 Psalmus VI.**

1. Inveni, quem diligit anima mea; \* tenui eum nec dimittam.

2. Ego Dilecto meo \* et ad me conversio ejus.

3. Trahe me post Te \* curremus in odorem unguentorum Tuorum.

Gloria Patri etc.

**28 OREMUS.**

Deus, qui mira Crucis mysteria digne coli desideras, da his famulis Tuis Jesu Christi semper vestigia sectari, et assidua meditatione muniri. Per eundem Christum Dominum Nostrum.

R̄. Amen.

flua vis amoris tui, ut *amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.*

**27 Psalmus VI**

1. CANT. CANT. 3, 4. Paululum cum pertransissem eos, *inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae et in cubiculum generitricis meae.*

2. CANT. CANT. 7, 10. *Ego dilecto meo, et ad me conversio eius.*

3. CANT. CANT. 1, 3. *Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua; exultabimus et laetabimur in te memores uberum tuorum super vinum.*

**28 MISSALE ROMANUM.** 17 Sept. In Impressione SS. Stigmatum S. Francisci Conf., *Postcommunio.*

Cfr BRUYLANTS II N. 384.

Deus, qui mira Crucis mysteria in beato Francisco Confessore tuo multiformiter demonstrasti: da nobis, quaesumus; devotionis suae semper exempla sectari, et assidua eiusdem Crucis meditatione muniri. Per Dominum.

RITUALE ROMANO-SERAPHICUM. Ritus concluditur tribus orationibus: Deus, qui corda fidelium; Concede nos famulos tuos; Deus, qui mira Crucis mysteria in beato *Patre nostro...* da his famulis tuis... [*ut supra*].



*Ad rosarium B. Mariae Virginis \**

Nn. 29-31

**29** Superior, sumens in manus *Rosarium*, antequam ipsum Neovotio porrigat, dicit :

**29<sup>a</sup>** Accipe, Fili, Rosarium beatae Virginis Mariae, quae tibi sit semper murus ad protegendum, mater ad nutriendum, stella ad dirigendum, portus ad salvandum. Tu autem stude diligenter Mariam diligere et imitari, ac ejus saluberrimam devotionem ubique propagare.

**29<sup>b</sup>** In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Dulce nomen illius non recedat ab ore, non recedat a corde.

Deinde porrigit ipsi Rosarium.

**30** Psalmus VII.

1. Quis est homo, qui vult vitam; \* diligit dies videre bonos.

2. Qui me invenerit, inveniet vitam, \* et hauriet salutem a Domino.

3. Qui operantur in me non

**29<sup>a</sup>** «Murus... mater... stella... portus...». Cfr. CANT. CANT. 8, 9. Si murus est, aedificemus super eum propugnacula argentea... 10 Ego murus... - Textus Ordini nostri e quodam commento ad CANTICA CANTICORUM desumptus esse videtur, qui interpretationi marianae favet; investigationes nostrae circa auctorem vanae manserunt.

**29<sup>b</sup>** S. BERNARDUS, *De laudibus Virginis Matris*, vulgo homiliae « *Super missus est* » PL, 183, 70. - *In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore tuo, non recedat a corde; et ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis eius exemplum.*

**30** Psalmus VII

1. PSALMUS 33, 13. *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?*

2. PROVERBIORUM LIB. 8, 35-34. *Beatus homo qui audit me et qui vigilat ad foras meas cotidie et observat ad postes ostii mei 35 qui me invenerit inveniet vitam et hauriet salutem a Domino 36 qui autem in me peccaverit laedet animam suam; omnes qui me oderunt diligunt mortem.*

3. LIBER ECCLESIASTICI 24,

peccabunt; \* qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.

Gloria Patri etc.

**31 OREMUS.**

Deus, qui propter magnam misericordiam Tuam, ad elucidandam gloriam Sanctissimae Tuae Genitricis, semper intemeratae Virginis Mariae, nos vocare dignatus es; largire supplicibus Tuis, ejus semper protectione defendi et ejus meritis ad aeternam gloriam perducere. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R̄. Amen.

*Ad complendum, seu conclusio ipsius actus vestitionis \**

Nn. 32 et 33

**32** Hic omnes genuflectunt, et cantatur :

**32<sup>a</sup>** Psalmus VIII.

1. Introduxit me Rex in cellam vinariam, \* ordinavit in me charitatem.

2. Unam petii a Domino hanc requiram, \* ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.

3. Dilectus meus candidus et rubicundus : \* electus ex millibus.

30-31. 29 Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient. 30 Qui audit me non confundentur, et qui operantur in me non peccabunt; 31 qui elucidant me vitam aeternam habebunt.

**31** Fontem huius orationis non invenimus.

**32<sup>a</sup>** Psalmus VIII

1. CANT. CANT. 2, 4. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.*

2. PSALMUS 26, 4. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, ut videam voluptatem Domini et visitem templum eius.*

3. CANT. CANT. 5, 10. *Dilectus meus candidus et rubicundus; electus ex milibus.*

||17|| 4. Quid mihi est in caelo,  
et a Te quid volui super terram \*  
Deus cordis mei, et pars mea  
Deus in aeternum.

Gloria Patri etc.

### 33 OREMUS.

Domine Deus noster, qui eos  
Te dignos esse decrevisti, qui  
saecularia omnia, cognatosque  
et amicos respuentes, Te se-  
quuntur, suscipe hos famulos  
Tuos, omnibus juxta praecepta  
Tua renuntiantes, ipsosque hu-  
militer coram Te procumbentes,  
in veritatis Tuae viam deduce-  
re, ac spiritu Tuo munire digne-  
ris, quo omnium adversariorum  
conatus contra eos nullius pror-  
sus roboris existant; potentiam  
eis largire, ut omnibus diebus  
vitae suae semper Tibi placeant,  
intercessionibus semper imma-  
culatae Dominae nostrae Dei Ge-  
nitricis Mariae, Sanctorumque  
omnium, qui a saeculo Tibi pla-  
cuerunt; quoniam benedictum et  
glorificatum est pretiosissimum  
magnificentissimumque Nomen  
Tuum Patris, et Filii et Spiri-  
tus Sancti, nunc et semper et  
in saecula saeculorum.

R̄. Amen.

## IV. CONCLUSIO : ACTUS ET PRECES FINALES\*

Nn. 34-49

*Rubrica, ordinans osculum pedis superioris et amplexum frater-  
nitatis, sub cantu psalmi [IX] 132.\**

34 Postea Superior intonat Psalmum: *Ecce quam bonum etc.*

4. PSALMUS 72, 25-26. 25  
*Quid enim mihi est in caelo? et  
a te quid volui super terram? 26  
Defecit caro mea et cor meum,  
Deus cordis mei, et pars mea  
Deus in aeternum.*

33 Fontem huius orationis non  
invenimus.

quem Communitas stando, ad modum Chori, ita prosequitur ut illa pars, quae est ad cornu Evangelii, cantet stropham : *Ecce quam bonum* etc. et altera pars alteram stropham. Interea P. Socius ducit Novitios ad osculandos *pedes* Rectoris, dein Magistri, et manus aliorum Patrum, et ad amplexandos Clericos et Fratres professos, et denique ceteros Novitios, jam antea investitos. Sed si Magister ceremoniis fungitur, ad hunc primo et dein ad Rectorem Novitios conducit.

### 34<sup>a</sup> Psalmus IX.

Ecce quam bonum et quam jucundum, \* habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite, \* quod descendit in barbam, barbam Aaron.

||18|| Ecce quam bonum et quam jucundum. \* habitare fratres in unum.

Quod descendit in oram vestimenti ejus : \* sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Ecce quam bonum et quam jucundum, \* habitare fratres in unum.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, \* et vitam usque in saeculum.

Ecce quam bonum et quam jucundum, \* habitare fratres in unum.

Gloria Patri etc.

Ecce quam bonum et quam jucundum, \* habitare fratres in unum.

Sicut erat etc.

Ecce quam bonum et quam jucundum, \* habitare fratres in unum.

Hic Psalmus repetitur, donec Neo-Novitii amplexati fuerint omnes.

### 34<sup>a</sup> Psalmus IX = Psalmus 132

Canticum graduum David.

Ecce quam bonum et quam jucundum \* habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite, \* quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti ejus : \* sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, \* et vitam usque in saeculum.

*Vel iuxta novam psalmodum versionem « pianam » :*

Canticum ascensionum. Davidis.

Ecce quam bonum et quam jucundum, \* habitare fratres in unum :

Sicut oleum optimum in capite, \* quod defluit in barbam, barbam Aaron, \* quod defluit in oram vestimenti ejus ;

Sicut ros Hermon, \* qui descendit super montem Sion : \*

Nam illuc largitur Dominus benedictionem, \* vitam usque in saeculum.

*Versus cum orationibus \**

Nn. 35-40

**35** Quo finito, Neo-Novitii in medio Altaris genuflectunt, et Communitate etiam genuflectente, Superior stans, dicit :

**35<sup>a</sup>** Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster.

*Cetera secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos a malo.

**35<sup>b</sup>** ℣. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

℞. A templo sancto Tuo, quod est in Jerusalem .

**35<sup>c</sup>** ℣. Salvos fac servos Tuos.

℞. Deus meus sperantes in Te.

℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.

℞. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eis.

℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

**35<sup>d</sup>** ℣. Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix.

℞. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

||19|| ℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

**35<sup>a</sup>** « Litanía » brevis et oratio dominica : ex usu recepto Liturgiae romanae.

**35<sup>b</sup>** PONTIFICALE ROMANUM. De confirmandis, *Antiphona* [post confirmationem].

**35<sup>c</sup>** BREVIARIUM ROMANUM. Litaniae Sanctorum, *Versus post psalmum 69, ante seriem orationum.*

**35<sup>d</sup>** « Ora pro nobis ». - Cfr infra 47<sup>a</sup>.

*Series orationum \**

Nn. 36-40

OREMUS.

**36** Deus, qui diligentibus Te facis cuncta prodesse, da cordi-

**36** MISSALE ROMANUM. Orationes diversae N. 29. - Ad po-

bus nostris inviolabilem Tuae charitatis affectum, ut desideria, de Tua inspiratione concepta, nulla possint tentatione mutari.

**37** Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde Tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

**38** Protege, Domine, populum Tuum et Apostolorum Tuorum Petri et Pauli, et aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserva.

**39** Sanctissimae Genitricis Tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.

**40** Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas, concede propitius, ut a quibus Tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniat. Per Christum Dominum Nostrum.

Ry. Amen.

stulandam caritatem, *Oratio*.

Cfr BRUYLANTS II N. 324.

**37** MISSALE ROMANUM. Orationes diversae N. 8. - Pro congregatione et familia. *Oratio*.

Cfr BRUYLANTS II N. 196.

**38** MISSALE ROMANUM. 6 Iulii In Octava Ss. Petri et Pauli Apostolorum. = Missae votivae, Feria IV, Missa de Ss. Petro et Paulo App., *Postcommunio*.

Cfr BRUYLANTS II N. 917.

**39** MISSALE ROMANUM. 19 Martii S. Ioseph, *Oratio*. Cfr 21 Sept. S. Matthaei Ap.

Cfr BRUYLANTS II N. 69.

**40** MISSALE ROMANUM. 8 Maii In Apparitione S. Michaelis Archangeli. = 29 Sept. In Dedicacione S. Michaelis Archangeli. = Missae votivae, Feria III, Missa de Angelis, *Oratio*.

Cfr BRUYLANTS II N. 387.

*Precatio marialis novitiorum \**

N. 41

**41** Hic etiam Superior genuflectit, et unus Novitiorum, ceterorum nomine, sequentem orationem ad B. V. Mariam recitet.

*Oratio*.

**41<sup>a</sup>** Ecce me prostratum ad pedes tuos, o Virgo Sanctissima, Virgo immaculata et Mater mea Maria; Deo et tibi sempiternas red-

dentem gratias. Non tantum tu sola fallacis hujus saeculi laqueis salutisque periculis me eripuisti, sed etiam vocare me indignum dignata es in hanc venerabilem Congregationem, ubi singularis devotionis affectu ||20|| tuum sanctum nomen invocatur, Filiique tui Jesu Christi vita pro vivendi et operandi norma et exemplari habetur. Suscipe igitur, Mater purissima, a renuntiante mundo, et Dei tuumque servitium aggrediente, imbecilles has gratitudinis primitias. Suscipe, Mater pulchrae dilectionis, me in servum et mancipium tuum perpetuum, atque non dedignare tanto filiorum dilectorum gregi me quoque misellum adnumerare. Tu, post Deum, unicum meum eris refugium, spes unica, amor unicus. Ad te recurram in omnibus necessitatibus et tribulationibus meis. Tui muneris erit afflictum consolari, certantem protegere, lassum erigere. Tu sola mihi eris magistra; tu dux et advocata mea, o Maria, in hocce anno tyrocinii mei. Nemo in colluctationibus cum carne et daemone, in tristitiis, taediis et angustiis mihi obventuris, me confortet, nisi Deus et tu, Virginum Sanctissima! Tu mentem illuminabis, tu me diriges in via salutis, tu mihi demonstrabis semitas justitiae. Tua intercessione gratiam finalem et donum, in vocatione mea perseverandi, a Jesu Christo me obtenturum esse, spero. Puro tibi serviendi desiderio omnibus hujus mundi bonis sponte renuntio, et si plura haberem, omnia derelinquere paratus essem, dummodo Jesu meo et tibi, Virgo Mater, placeam. Regnum meum in hac vita erit Jesu meo et tibi, pulcherrima Virginum, servire. Jesu enim et tibi servire regnare est. Tu igitur, Mater perseverantiae, ut fidelis tibi permaneam, donec vixero, mihi obtine. Tua piissima ac potentissima intercessione haec omnia successura, meque illuc, ubi tu regnas, quondam perventurum esse, spero atque confido. Ibi tuam laudabo clementiam, tibi in aeternum benedicam, nunquam amplius a pedibus tuis sanctissimis discessurus. Jesu et Maria, amores mei dulcissimi, pro vobis vivam, pro vobis laborem, pro vobis patiar, pro vobis moriar. Non meus amplius ero, sed vester, vivens et moriens. Amen.

*Solemnis gratiarum actio :*

*Hymnus ambrosianus, versus et orationes \**

Nn. 42-45

*Rubrica \**

||21|| **42** Finita oratione, exceptis Neo-Novitiis, omnes surgunt,

et Superior intonat Hymnum: *Te Deum laudamus*, quem Communitas, ad modum Chori, prosequitur.

**42<sup>a</sup>** Hymnus  
SS. Ambrosii et Augustini.

**42<sup>b</sup>** *Te Deum laudamus*, \* *Te Dominum confitemur*.

Te aeternum Patrem, \* omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, \* Tibi coeli et universae potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim \* incessabili voce proclamant.

Sanctus, \* Sanctus, \* Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt coeli et terra \* majestatis gloriae Tuae.

Te gloriosus \* Apostolorum chorus.

Te Prophetarum \* laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus \* laudat exercitus.

Te per orbem terrarum \* sancta confitetur Ecclesia.

Patrem \* immensae majestatis.

Venerandum Tuum verum \* et unicum Filium.

Sanctum quoque \* Paraclitum Spiritum.

**42<sup>a</sup>** Hymnus « ambrosianus » (ita editiones novissimae librorum liturgicorum, quae « typicae » vocantur), et versus sequentes:

RITUALE ROMANUM. Tit. X. Cap. XIII. *Processio pro gratiarum actione*.

**42<sup>b</sup>** *Prima stropa: laus Trinitatis*.

Cfr I Paral. 29, 13: Canticum David: Nunc igitur Deus noster confitemur tibi, et laudamus nomen tuum inclitum. Cfr etiam Psalm. 105, 1; 106 1, 8, 15, 21, 31; 110, 1 etc. etc.

« Sanctus » - Cfr Is. 6, 2-3: 2 Seraphim stabant super illud (solium Dei)... 3 Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, s., s., Dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloria eius.

« Pleni sunt caeli etc. » - Cfr Psalm. 71, 18<sup>b</sup> Et replebitur maiestate eius omnis terra. - Is. 2, 10 Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo, a facie timoris Dei et a gloria maiestatis eius. - Is. 2, 19 Et introibunt... in voragine terrae, a facie formidinis Dei et a gloria maiestatis eius.

« Te gloriosus apostolorum chorus etc. » - Cfr S. CYPRIANUS, *De mortalitate* c. 26 (PL 4, 602). Illic apostolorum gloriosus chorus, illic prophetarum exsultantium numerus, illic martyrum innumerabilis popu-



**42<sup>c</sup>** Tu Rex gloriae \* Christe.  
Tu Patris \* sempiternus es  
Filius.

Tu ad liberandum suscepturus  
hominem, \* non horruisti  
Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo \*  
aperuisti credentibus regna coe-  
lorum.

Tu ad dexteram Dei sedes \*  
in gloria Patris.

Judex crederis \* esse ventu-  
rus.

Te ergo quaesumus, Tuis fa-  
mulis subveni, \* quos pretioso  
sanguine redemisti.

Aeterna fac cum Sanctis Tuis  
\* in gloria numerari.

**42<sup>d</sup>** Salvum fac populum Tuum,  
Domine, \* et benedic haeredi-  
tati Tuae.

Et rege eos, \* et extolle illos  
usque in aeternum.

||22|| Per singulos dies, bene-  
dicimus Te.

Et laudamus nomen Tuum in  
saeculum \* et in saeculum sae-  
culi.

Dignare, Domine, die isto, \*  
sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine, \* mi-  
serere nostri.

Fiat misericordia Tua, Domi-  
ne, super nos, \* quemadmodum  
speravimus in Te.

In Te, Domine, speravi: \*  
non confundar in aeternum.

lus ob certaminis et passionis  
victoriam coronatus.

**42<sup>e</sup>** *Secunda strophæ: laus Chri-  
sti.*

«Rex gloriae». - Cfr Psalm.  
23, 7, 8, 9, 10 rex gloriae.

«Devicto mortis aculeo». - Ver-  
sio prae-hieronymiana I Cor. 15,  
55: Ubi est, mors, stimulus  
tuus; cfr S. AUGUSTINUS, *De  
fide et symbolo*, cap. 8, 25  
(CSEL 41, 32), ubi sic textum  
paulinum allegat: Ubi est mors  
aculeus tuus.

«Quos pretioso sanguine re-  
demisti». - Cfr I Petr. 1, 18  
Scientes quod non corruptibili-  
bus auro vel argento redempti  
estis... 19 sed pretioso sanguine  
quasi agni immaculati Christi.

**42<sup>d</sup>** *Tertia strophæ: preces  
psalmodicae.*

« Salvum fac ». - Psalm. 27  
9 Salvum fac populum tuum,  
Domine, et benedic hereditati  
tuae. Et rege eos, et extolle illos  
usque in aeternum.

« Per singulos dies ». - Cfr  
Psalm. 144, 2 Per singulos dies  
benedicam tibi, et laudabo no-  
men tuum in saeculum et in sae-  
culum saeculi.

« Dignare, Domine ». - Hic  
versiculus doctorum indagatio-  
nibus restitit, nec hucusque nul-  
lus fontem directum invenire po-  
tuit.

« Miserere nostri ». - Psalm.  
122, 3a Miserere nostri, Domi-  
ne, miserere nostri.

« Fiat misericordia ». Psalm.

**42<sup>e</sup>** V. Benedicamus Patrem et Filium, cum Sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

V. Benedictus es, Domine, in firmamento coeli.

R. Et laudabilis et gloriosus in saecula.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad Te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

#### OREMUS.

**43** Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; piissimae Majestati Tuae pro collatis donis gratias agimus, Tuam semper clementiam exorantes, ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas.

**44** Odorem, Domine, sacrificii hujus cum gratiarum actionibus suscipe, et praesta, ut quos audire et incolumes servare dignatus es, ab omni in posterum adversitate custodias, ut in Tuo servitio et amore concrecant.

**45** Deus, qui neminem in Te sperantem nimium affligi per-

32, 22 Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.

« In te, Domine ». - Psalm. 30, 2a In te, Domine, speravi; non confundar in aeternum.

**42<sup>e</sup>** *Versiculi... post hymnum.*

«Benedicamus Patrem». «Benedictus es». - Conclusio doxologica hymni « trium puero- rum » in Breviario Romano (Ad Laudes I, dominica), ex Dan. 3, 56.

De hymno ambrosiano cfr LUDW. EISENHOFER, *Handbuch der kath. Liturgik*, II *Spezielle Liturgik*, Freiburg Br., Herder, 1933, 514-516; JOSEF PASCHER, *Das Stundengebet der römischen Kirche*, München, K. Zink, 1954, 103 - 109.

**43 44 45** MISSALE ROMANUM.

Missae votivae. - Missa pro gratiarum actione, *Oratio, Secreta, Postcommunio.*

Cfr BRUYLANTS II N. 216. 736, 388.

mittis, sed pium precibus praestas auditum; pro postulationibus nostris votisque susceptis gratias agimus, Te piissime deprecantes, ut a cunctis semper muniamur adversis. Per Christum Dominum Nostrum.

R̄. Amen.

*Conclusio actus communitatis \**

Nn. 46-48

**46** Hic omnes genuflectunt et Superior dicit :

||23|| **46<sup>o</sup>** Agimus Tibi gratias, omnipotens sempiternae Deus, pro universis beneficiis Tuis. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R̄. Amen.

**46<sup>a</sup>** BREVIARIUM ROMANUM. Benedictio mensae, *Post prandium*.

**47** Postea Superior dicit : Pro gratia Perseverantiae :

**47<sup>a</sup>** Salve Regina, et Communitas continuat.

∇. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

R̄. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

**47<sup>a</sup>** BREVIARIUM ROMANUM. Post singulas Horas, *Antiphona finalis B. Mariae Virginis*.

[Pars aestiva et pars autumnalis].

**47<sup>b</sup>** OREMUS.

Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istos ab omni adversitate famulos Tuos, et toto corde Tibi prostratos ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

**47<sup>b</sup>** Cfr supra 37.

**48** ∇. Ora pro nobis, Sancte Pater noster Alphonse.

R̄. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

**48** Cfr supra 47<sup>a</sup>.

48<sup>a</sup> OREMUS.

Deus, qui per beatum Alphonsum Mariam, Confessorem Tuum atque Pontificem, animarum zelo succensum, Ecclesiam Tuam nova prole foecundasti, quaesumus, ut ejus salutaribus monitis edocti et exemplis roborati, ad Te pervenire feliciter valeamus. Per Christum Dominum Nostrum.

Ry. Amen.

48<sup>a</sup> MISSALE ROMANUM. 2. Aug. S. Alfonsi Maria de Liguorio, *Oratio*.

Cfr BRUYLANTS II N. 419.

*Rubrica \**

49 Omnes recedunt, exceptis Neo-Novitiis, qui aliquantulum in gratiarum actione perseverant.

## CONCLUSIO

Ante oculos nostros praetermisimus Ordinem mutandi habitum iuxta formam nobis propriam, et invenimus eum compositum ex permultis elementis, quorum fontes immediatos, quantum potuimus, sedulo adnotavimus.

Diximus « fontes immediatos », designare intendentes locos illos bibliographicos, ubi isti textus immediate inveniuntur. Alia autem quaestio est, altera postea resolvenda indagazione historica, cuius opera, quando et quomodo tota haec mixtura in tale corpus collecta sit. Haec altera tamen inquisitio, sine singulorum elementorum praevia adtributione originaria, quam nunc peregimus, vix atque vix quidem ad finem conduci posset.

Sed non solum singula elementa variis de fontibus hausta sunt, verum etiam certae partes iterum ex nonnullis particulis sic consutae reperiuntur, ut tanquam « typica » exempla sic dictorum « centonum » habenda sint (quasi omnes illae partes, quae valde incongrue « psalmi » inscriptae sunt).

Si neglegimus « rubricas », sat pauca elementa nobis omnino propria inventa sunt; de aliis paucioribus elementis hucusque non potuimus detegere fontes immediatos.

Concludimus hanc primam nostram indagacionem *tabula fontium*, quos pro singulis partibus particulisque invenimus. Numeri uncis rotundis inclusi respondent crassioribus numeris, quibus superius in ipso textu singula elementa seu particulas distinximus.

## TABULA FONTIUM

## I. E sacra scriptura

Exodus 3,7 - (8)	5, 2 - (9)
15, 7 - (8)	5, 10 - (32)
Psalmi 26,4 - (32)	7, 10 - (27)
33, 13 - (30)	7, 11 - (9)
66, 7-8 - (18d)	8, 5 - (10)
69, 2 - (7a)	8, 6 - (10)
72, 25-26 - (32)	8, 6 - (26a)
103, 30 - (6b = 17b)	Ecclesiasticus 2, 1 - (18b)
113, 1, 2 - (8)	24, 29-31 - (30)
132 (totus) - (34a)	Isaias 11, 5 - (23a)
Proverbia 8, 34-36 - (30)	61, 10 - (21a)
Cantica canticorum 1, 3 - (27)	Lamentationes 3, 28 - (10)
1, 7 - (1)	Oseas 2, 14 - (10)
1, 12 - (9)	Matthaeus 22, 30 - (24)
2, 4 - (32)	Lucas 12, 35 - (23a)
2, 10 - (9)	Ioannes 12, 25 - (18d)
2, 11 - (9)	2 Corinth. 4, 8-10 - (20a)
2, 16 - (24)	Ephes. 4, 23-24 - (19a, 20)
3, 2 - (9)	Philipp. 4, 12-13 - (18c)
3, 4 - (27)	Coloss. 3, 9-10 - (19a)
5, 1 - (9)	Apocalypsis 14, 4 - (24)

## II. E libris liturgicis

*Missale romanum*

(6a)	Versiculus - Pentecoste.
(6c)	Oratio - Pentecoste.
(11)	Oratio - Dominica 18 post Pentecoste.
(12)	Oratio - Dominica 24 (ultima) post Pentecoste.
(13)	Oratio - Dominica 5 post Pentecoste.
(17c)	Oratio - Feria 4 Quattuor Temp. Pentecostes.
(23a)	Oratio ad cingulum.
(28)	Oratio - In impressione SS. Stigmatum S. Francisci (17 IX).
(36)	Oratio ad postulandam caritatem.
(37=47b)	Oratio pro congregatione et familia.
(38)	Postcommunio - SS. Petri et Pauli (6 VII).
(39)	Oratio - S. Ioseph (19 III).
(40)	Oratio - S. Angeli (S. Michael) (8 V = 29 IX).
(43, 44, 45)	Oratio, secreta, postcommunio - Pro gratiarum actione.
(48)	Oratio - S. Alfonsus (2 VIII).

*Breviarium romanum*

(17a)	Hymnus - <i>Veni Creator Spiritus</i> .
(18d)	Ordinarium. Ad Primam, benedictio.

- (21a) Responsorium 8<sup>um</sup>, Commune non Virginum.  
 (35c) Versus post psalm. 69 (Litaniae sanctorum).  
 (42a) Hymnus ambrosianus - *Te Deum laudamus*.  
 (46) Benedictio mensae.  
 (47a) Antiphona finalis B.M.V. - *Salve Regina*.

*Pontificale romanum*

- (19a, 20) De clerico faciendo.  
 (21a) De ordinando subdiacono, de ordinando diacono.  
 (35b) De confirmandis.

*Rituale romanum*

- (2) Tit. IX, Cap. IX, n. 15 - Benedictio imaginis D.N.I.C.  
 (3) Tit. IX, Cap. XI, nn. 9, 34, 35, 39, 40 - Benedictiones « coronarum ».  
 (4) Tit. IX, Cap. IX, n. 3 - Benedictio habitus clericalis.  
 (5) Tit. IX, Cap. VIII, n. 15 - Benedictio cinguli.  
 (18d) Tit. V, Cap. II - Ordo administrandi s. Communionem.

*Rituale romano-seraphicum Ordinis Fratrum Minorum*

- (5) Benedictio cinguli.  
 (22) Oratio post vestitionem.

III. E scriptis sanctorum

- S. Bernardus abbas - (29b)  
 S. Franciscus Ass. - (26b)

\* \* \*

ELEMENTA PROPRIA CSSR

*Rubricae*

- (1) (6) (7) (14) (15) (17) (18) (19) (20) (21) (23) (26) (29) (32) (34) (35) (41)  
 (42) (46) (49)

*Textus*

- (15) Interrogatio superioris.  
 (16) Petitio candidati et responsio superioris.  
 (18) Dialogus inter superiorem et candidatos.  
 (18d) Benedictio.  
 (29a) Ad rosarium.  
 (41) Precatio marialis novitiorum.

\* \* \*

*Orationes*

- quarum fontes hucusque invenire non potuimus  
 (25) (31) (33).